Opuscula

REGULA
ANGELICÆ VITÆ
PRÆSTANTISSIMA,
D. MICHAEL GEDROYC,
è DUCE LITHUANIÆ,

& PROFESSORE Academiæ Cracovien:
Inclyti Ordinis RR. PP. CANONICORUM
Regularium de Pœnitentia BB. Martyrum

PROFESSUS.

Recurrente annuâ suæ Festivitatis die,
In Basilica D. Marci Evangelistæ
Nobilissimæ Magnorum Hospitum Coronæ

A

THOMA ANTONIO *De Karwosiek* KARWOSIECKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Artium Liberalium
& Philosophiæ Baccalaureo

Oratoriâ Apotheosi

DEMONSTRATA.

Annô Domini MDCCXXXXII.

Die verò Quarta Maij.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

IN STEMMA

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.



I.

Quilibet hic calamus toto tingendus Erythro
Vt sic MNISZCHORVM gemmea facta notet

II.

His pennis volitat MNISZCHORVM fama per Orbem,
His pennis, Patriæ, fertur in alta, bonum.

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. JOANNI CAROLO

Sacri Romani Imperij Comiti

In Magna Konczyce

VANDALINO MNISZECH,

VENATORI REGNI, CAPITANEO JAWOROVIENSI,

Exercituum Reipublicæ Colonello &c.

Mecænati Amplissimo.

N*On invitatus quidem sed (quod certô certiùs est,) non invitus; olim Lithvaniæ, nunc jam Virtutum & Sanctimoniæ Princeps* MICHAEL GEDROICIUS *ad Tuam Illustrissimam Domum Oratorijs se confert gradationibús.* MECÆNAS Illustrissime. *Origine & locô Patriæ, Tuæ Illustrissimæ affinis Domui, invitari ad eam non prætendit; Cælis etiam Illam esse conterminam bene gnarus, in Illa se non hospitem sed inquilinum agere gaudens, festinè ingreditur: in qua quòd hic Sacratior Princeps suscipietur grate,*

tè, acceptabitur honorificè, non dubitat; quam amori Superùm impensam, cultui Sanctorum intensam esse novit. Sive hanc Domum Tuam ingreditur GEDROICIUS quà Litavus Princeps, sive ad eam divertat quà Civis Olympi, ex utroq; illi Honor ex utroq; erit reverentia: ut potè cùm ad hanc declinet Domum, quæ & Principum Genere clara, & innatâ sibi pietate Sacra. Forte Religionis Tutamen, & illibatum pietatis zelum, quæ Domum Tuam Illustrissimam ut Sacrum probitatis Pantheum, ac ut nunquam temeratam omnium Virtutum commendat ædem, annotati Tuis Gentilitijs Calamis annales, repleti, admirandis tot Magnorum pro DEO & Patria Honorum quot MNISZCHORUM reclefactis testati sunt, testantur & testabuntur. Præcelsa Domus Tua statim à principio sui consumatam, ubi necdum aliæ inhoârunt habuit celsitudinem, quæ perantiquæ Familiæ Tuæ olim in KONCZYCIIS incunabula dedit, Sanguinem nobilissimum, quo etiam Regiæ tingi non erubuère dybaphæ fovit, purpuras pro pulvinis, trabeas pro fascijs habens, altiùs ac altiùs in meritorum sed simul & in honorum fastigia, cum prodigio sæculorum, non Icareis quia sine periculo casûs, sed Gentilitijs, quas ei boni honesti addidit amor sublimabatur pennis. Statim à principio KONCZYCIORUM magnanima Virtus regnare in Imperio adhuc ante Carolum Magnum Imperatorem incepit seipsa quia suis heroicis reclefactis coronata. Prævere-KONCZYCII statim in primo Nominis sui diluculo Illustrissimis Magnorum operum circumfusi jubaribus acsi nascentes in purpura Phosphori orituro tandem sphæræ Imperialis Soli, Carolo Magno brevi ad motum Ejus in meridionalem Honorum augem conscensuri. Ita est Hoc fulgente in solio Imperiali Sole VANDALINUS MNISZECH Supremus Dux Exercituum Martem egit, sub quo semper fortuna Imperij gloriosissimè triumphabat. Ita Ille semper credita sibi dirigebat arma, ut hostis disarmaretur, quia datam semel

Cæsareæ

Cæsareæ Majestati fidem diligebat: ita suas disponebat phalanges, ut hostiles cuneos dissiparet, ita militares præscribebat regulas, ut stylo ferreo ex limine Imperij omnia adversa proscriberet: ita semper bellica constitit in arena, ut de illa hostis cedere cogeretur. Hinc Virtute Duce comiteq; labore, CAROLUS *Cæsar optimè sibi meritum* VANDALINUM *Comitem fecit, titulavit. Verus Paternæ gloriæ & Virtutis hæres, quia magnus sub* OTTONE *Imperatore Heros* Valerianus Mniszech, *Appiæ, quam bene fixa gloriæ* Vandalini *fecère vestigia, ita insistebat, ut ad Capitolium Honoris deveniret. Ita ad illimes inoccidua laudis soles nati Aquilæ Imperialis pulli* Mniszchovij *pulcherrima multiplicati genesi non tàm se ipsis quàm suorum rectefactorum multitudine replevère, ut cùm Illos uti tantos Philippidas Imperialis Macedonia capere nequivisset aliud sibi Regnum quærere debuissent. Sedente ergo in Throno* Sigismundo *primo Poloniæ Rege, ecce de sub alieno Sole ortum est in Polo Sarmatico non postremæ Magnitudinis Sidus* Nicolaus Mniszech, *sub cujus aspectu statim meliores Orbi Sarmatico nituère dies. Hoc Sidus Lechici sat magnum Lumen Olympi post præstitos suæ Neo-Patriæ multorum meritorum influxus, occidit quidem sub emaciatas fatorum umbras, sed non totum, magnam enim sui splendoris partem in radijs à se procedentibus nempè in* Ioanne *Krasnostaviensi, Jaslensi &c: Præfecto, &* Georgio *Palatino Sandomiriensi, Leopoliensi, Samboriensi, Sanocensi, Sokaliensi, Medicensi, &c. Præfecto, Filijs suis. Hi optimi Palmitis optima Germina tam pulchrè in Sarmatico floruère Solo, ut non semel eliquato susceptorum pro Bono Reipublicæ tàm in Sago quàm in Toga laborum irrigata sudore, adferrent sibi fructus Honoris & Honestatis, Regiam Majestatem in suum amorem inclinando, cunctorum animos in mixtam cum veneratione sui admirationem rapiendo. Ex his* Georgius *tantis meritis*

 & hono-

& honoribus auctus, etiam suam & Patriæ latiùs quia ex. tra fines Regni auxit famam, in Maryna Mniszchowa *Imperatrice Rossiorum, Filia sua, quæ nativo mutato clymate innatum erga Patriam non mutavit amorem, dum post mortem Generi sui,* Vladislaviū Sigismundi *Tertij Poloniarum Regis Filium in Imperatorem Rossiorum elegit, & in Cæsareo Throno fundari fecit. Hæc Heroina usu majoris supra sexum prudentiæ Romanis Lavinijs, amore Patriæ Camillus par, rara illius sæculi singularitas, Familiæ suæ præcipuum ornamentum. Redit iterum Magnus* Mniszchorum *Honor in Poloniam, qui sorte felici incidit in* Nicolaum Mniszech *Supremum Regni Cancellarium, qui ut esset* Mniszchorum *Domui Privilegiatus, Sigillum Regni, quod tanquam pretiosum clenodium in aureas* Nicolai *manus Regia deposuit beneficentia, indicium fuerat. Hic redivivus Avo suo Hortensius, quidquid venusto protulit ore, rosa erat spina, erroris carens, vere pulcherrimo maturi illius genij vernans, qua desideria Senatûs, vota populi & proficuæ bono communi Reipublicæ intentiones, semper floridè, semper honorificè, semper coronabantur felicissimè. Hoc Supremum Regni Cancellariatum tenente Viro, erat Regalis Majestatis securitas, Sacræ Themidis deliciosa Majestas, Virtutis honor, sceleris timor, consiliorum pondus, publicæ tranquillitatis sudum, Senatûs Authoritas, legum plana interpretatio & plena conservatio, hostium terror, Libertatis munimen imperfractum. Desijt tandem vivere sed non laudari, qui laudabilibus gestis immortalitatem gloriæ promeretur; & ita tamen magnam cordibus se amantium, Patriæ se æstimanti fecisset iniuriam, ni similes sibi,* Georgium, Paulum, Michaëlem, Christophorum *&* Andream *Filios in solamen & æternum sui ipsius fænus reliquisset. Erant Illi inter flammivomos Martis ignes Æneæ, inter rosas Bellonæ, sed hostili tinctas cruore Persei. Ex Magno Parente suo non solùm Sangvinem, sed e-*

tiam

tiam grande *Virtutum traxère profluvium, ut non nomine tenus, verùm quoq; re ipsa* Mniſzchovij *dicerentur & essent. Iterum aliquanto interpolato temporis spatiô, possessi nuper ad Illustrissimam Tuam Domum in majorem futuræ gloriæ Tuæ consignationem insigniores Orbis Poloni redière Honores: dum* Nicolaus *in primo Cancellariatûs Regni munere;* Georgius *Tui* Mecænas Illuſtriſſime *Atavi, in Senatoria Palatinatûs Sandomiriensis Curuli eminuère. Habuit tunc Solium Regium, habuit & pomposum Senatûs Lechici Laticlavium, quô gloriaretur, dum tantos habuit* Mniſzchovios. *Ille verior quia extra comentum jam non talarijs; sed Avitis instructus pennis apparuit Mercurius, qui dum tacebat, seria revolvebat meditamina, dum cogitabat, mente pacata altiora humanis scrutari credebatur, dum os melleum in eloquia aperiret, videbatur referre secreta Deorum. Alter plus quàm Romuleus in consessu Senatorio ab omnibus agnoscebatur Consus, qui semper rectè ordinato ad prævidenda mala, ad providenda bona, ad libertatis defensionem, ad tranquillitatis publicæ vel incrementum vel conservationem sensu, aurô pretiosiora dum proferebat verba, gemmas credebatur proferre, non jam Darij scriniô conservandas, sed Æternitatis annulo inserendas. Par illis omne duratura per ævum gloriâ, quia par meritis Illustrissimus olim* Franciſcus Mniſzech *Castellanus Sandecensis, Tuus* Mecænas Illuſtriſſime *Proavus. Vir Ille erat personata Intelligentia, morum gravitate Catoni non absimilis, sagaci legum Patriarum notitiâ ita verus Lycurgus, ut etiam jura dare potuisset, si non fuissent. Ab Illius ore pendebant omnes, quos concinna svadâ vincebat, diducto & ex locis sancitorum deducto sermone, velut alter Gallicanus Hercules aureo torque vinciebat. Quid loquar de Religionis amore, quô Ille fervebat, quæ in Templorum decoramentis in reverentia Servorum Dei, in publica privatavè Honoris Divini promotione, in cultu Altarium prominebat. Verè* Franciſcus *vitijs pauper*

 erat,

erat, Virtutibus locuples, exemplaritate vitæ & beneficijs di-ves in omnes. Transfudit Ille hæc & tanta sibi Cælitus con-credita dona in Illustrissimum Georgium Mniszech *Palatinum Volynensem Tuum* Mecænas Illustrissime, *Avum, Quem sicut Magni sui Nominis, ita non minoris Vir-tutis reliquit Possessorem. Adorabat in illo Orbis Polonus fir-missimam vetustissimæ* Mniszchorum *Gentis Lithvanæ columnam, Regnorum Soles cujusvis optimi significatricem, Stellam, Senatus in Consultis & responsis Aristidem, inter va-ria infortunatæ malitiæ acroceraunia, infallibile malaciæ omen, concredita Favonijs cogitaminum Ejus, totius Reipublicæ spe-ctabat cynosura qua sibi affulgente ad optatum eluctaretur Beneventum, sive bonum eventum. Stetit Ille in Sago pro Fide Rege & Lege ut fulmen belli Scipiada paratus ad utrumq́ sive ut hostes feriret, sive ut Ipse pro Patria periret. Stetit in Senatoria Toga tanta mentis præsentiâ, tanta ani-mi bonô privatô nunquam corrupti dexteritate, ut ipsos Scau-ros & Catones vel imitaretur, vel exæquaret, vel (quod non est dubium) superaret. Sed adquid è fatorum conticinijs vo-calem* Illustrissimæ *Domus Tuæ ausim evocare famam, adquid è Mausoleorum marmoribus Oratorio Stylô triumpha-les in applausum Honoris Tui attentem excutere ignes, vel laudis Tuæ Olympum ex cineralibus Abatavorum Atavorumq́ Tuorum Athomis tumescere faxim. Vivit Tuus totiusq́ Do-mus Tuæ* Illustrissimæ *Honor in* Illustrissimo & Ex-cellentissimo Domino D. Iosepho Vandalino Sacri Romani Imperij, simul in Magna Konczy-ce & Osłownice Comite Mniszech, Supremo Re-gni Mareschalco, *Titulis omnibus maximisq́ Honoribus Majore, ad delitium Patriæ superstite Patre Tuo Dignis-simo* Mecænas Illustrissime. *In hoc uno Martis fervi-dioris calor, læta pacis amænioris dies, ingenium plus quàm humanum, candor illimis, suavis affabilitas, magnanima ge-*

nerositas,

nerositas, Indoles verò Principe digna, Majestas sed non superba, Religio illibata, intemerata æquitas, perspicax in omnibus rerum occurrentijs prudentia, vitæ nævo carentis integritas, clemens justitia, justaq; clementia, omnes ad se alliciens gratia, Magnificentia sed non ambitioso entheata spiritu, lenitas sed non mollis, fortitudo sed non ferociens, celsitudo sed non elata, benignitas non fucata animi, consilij Delphus; & quidquid virtutis in privato, quidquid politicæ gratiæ in Principe esse solet, aut convenit, in unius pectus divite Copia convenerunt. Ille est Patriæ legum anima, consilij penu, solennis sæculi nostri triumphus & Martis panoplia, Regum mens, sed libera & in sentiendo quod Thronus velit diciq; postulet, clavo gratiæ non affixa. Illi est senio non parcens Boni publici curis intentus Cicero, arte Marte potens Metellus pro focis semper Deûmq; strenuus aris. Adauget Domus Tuæ Illustrissimæ *decorem* Illustrissima *olim* Constantia Tarłowa *felix Te suo Filio felice Mater Tua* Mecænas Illustrissime, *Magna Magni Palatini Filia: quam si fata non sustulissent, hucusq; Polonus imò totus vidisset Orbis veriorem in amore conjugali Artemisiam, secundam suo sæculô Lucinam, quæ præter Genialem charissimæ Stirpi suæ lucem accendit honorificam. Illa animô sexum, dotibûs naturæ Pandoram superavit, ex Qua ipsæ gratiæ si quod Deorum munus formare vellent, sumerent prototypon. Utinam supervixisset! Te delitio sui, inæstimabili Familiæ clenodio, singulari Domûs decore, hoc est Filio suo lætatura. Nolo tamen infandum renovare dolorem, imò vulnus cordis quod indiscreta infixerê fata, sanare volo, dum traducem Illius in Te gloriam venerabor, ad cujus expressionem hæc Pagella non sufficit, nisi extenderetur in tomos vel annales. Sufficit Tibi ex hac Matre oriundum esse, Quam Toporeorum Genethlia edidit, virtus fovit, publicus nutrivit honor, æstimavit Orbis, & Cælum recepit, quam dedit. Vivet illa tamen in memoria sæcu-*

 lorum

lorum, *& vivit in* Ludovica Illustrissimi & Excellentissimi Domini Iosephi Potocki *Palatini Kijoviensis, Supremi Exercituum Regni Ducis: &c. &c.* Elisabetha Illustrissimi & Excellentissimi Domini Caroli Wielopolski *Marchionis Pinczoviensis, Stabuli Regni Præfecti, Cracoviensis Capitanei, Dignissimis Dignissimorum Sponsorum Sponsis suis Filiabus & Tuis* Mecænas Illustrissime *Sororibus, veris suo ævo Regni hujus Camillis, singulari dotum & Virtutum tàm à natura quàm à gratia datarum decore ornatis Pulcheriis. Vivit in* Illustrissimo & Excellentissimo Domino Georgio Augusto Mniszech, *Succamerario M. D. Lithvaniæ Sanocensi, Glebscensi, Grudziensi, Lubaczoviensi, Kulpinensi, Kasinensi &c. &c.* Præfecto, *Tuo* Mecænas Illustrissime *Fratre. Hic omnibus Honoribus par natus & per merita factus, tantisper sat sublimis, sed non elatus, authoritate utitur non ambitione, genere clarus, virtute clarior, geniô fæcundus, lingvâ facundus, Illustrissimas Ceras rectefactorum splendore Illustriores reddit, & suis auget Majorum benefacta factis. Auges & Tu* Mecænas Illustrissime, *Qui omnium laudum à Proavis Atavisq; promanantium compendium, viva idearum Majorum Tuorum amussis, traductarum cum Sangvine Illustrissimo dotum ectypus, singularium, quas in Magnis Tuis Antecessoribus observârunt sæcula Virtutum exemplar, nobilissimarum quæ in intimo Principum reservantur sacrario qualitatum Encyclopedia, ac (ut breviùs exprimam) innumerorum à natura & Cælitùs datorum donorum summa. Multum interest nôsse, quo tramite ad famæ Capitolium & gloriæ adita quis penetrârit, sed coram Te non absconditum, cui parum videbatur ex Erythro Illustrissimi Sangvinis nasci ut Gemmæ, nisi ut inter tonitrua belli, fulgura Martis cresceres, adolesceres, & inter literariam arenam expolireris ut Unio, etiam ad coronam natus vel jungen-*

dus

dus Coronæ. Exteras auras sine omni (ut alijs evenire solet) infectione hausisti, eô majori cum miraculo quòd etiam Patriam auram non mutasti: hâc vixisti, ex illis quod melius & politius erat intra Te attraxisti, ubiq; uno animô, ubiq; oculorum delicium, Magnatum amor, Principum Corculum, eruditorum ocellus, morum speculum, integerrimæ vitæ crystallus: ac (quod est idem) Domûs Illustrissimæ singulare Decus, expectatum à tam longissima Aborigenum Prosapia solatium, Vetustissimæ & utinam nunquã collapsuræ Familiæ fulcrum post felicissimum reditum salutatus, hactenus censeris ab omnibus. Nec spes vana fefellit, qui totus tandem aderas oculis, aderas qui mentibus olim spe major famâ melior. Pauca hæc sunt (ignosce) quæ scripsi, cum enim sis, Marte & arte valens id est ex utroq; Cæsar, Tibi id ut olim Cæsari humilis recognoscit stylus, quòd non meliùs de Te quispiam loqui potest, quàm ore Tuo, non meliùs describi potes, quàm Tuis Gentilitijs Calamis. Præter hæc adhuc Fortuna, cui nihil natura, cui multum, Virtus, cui plurimum Superi, quibus omnia debes, quô Te ampliùs bearent invênere, dum Tibi Illustrissimam Catharinam ex Zamoyscijs Palatini Smolenscensis, Ordinati Zamoscensis Filiam, corporis & animi dotibûs Pulcheriam, mentis magnanimitate Amazonem, perspicua prudentia Drusillam, pietatis fervore Vestam Connubiali sociavêre nexu, scilicet: dum Hæc Tibi in Sponsam cessit, accessit pretium pretio, Sponsalitio adamas annulo, & Geniali accessit gemma Coronæ. Acrescit & accrescet non spe dubia majus Honoris Tui incrementum ex Iosepho Filio, qui præter ætatem nihil juvenile habens florem pubertatis suæ non vana futuræ gloriæ ubertatis spe prævenit & antevertit. Numerare vellem in augmentum Honoris Tui Domui Tuæ Colligatas: Wiśniowiecciorum, Czartorijsciorum; Szanguszkorum, Radiviliorum, Lubomirsciorum, Ostrowsciorum, Korecciorum, Zbarawsci-

 orum,

orum, Oginſciorum, Chodkieviciorum, Wielopolſciorum, Myſzkowſciorum, Kamienieccio-rum, Sapiecharum, Rudominiorum, Sieniawſciorum, Tarłonum, Zboroviorum, Cherburtorum, Wilkoſzowſciorum, Rudzieńſciorum, Słupecciorum, *ac alias Domos, ſed ideo hæ numerum excedunt Oratorium, quia vel Tua Illuſtriſsima Domus in totum Litavo-Polonum Orbem, vel totus Litavo Polonus Orbis in Tuam Illuſtriſsimam Domum ſe recepit. Hinc non incongruum eſt, quod Princeps Lithvaniæ* D. GEDROICIVS, *in hanc tam ſæculis antiqvatam, tam meritis de Eccleſia & Republica clariſſimam, tam ſplendoribûs compendiatorum Honorum Illuſtriſſimam, qvàm ſelectis ſingularium virtutum decoribus ſublimatam Tuam* Mecænas Illuſtriſſime *Domum ſe conferat, officioſamq; Sanctimoniæ ſuæ apotheoſim in foliis Roſæ ſuæ meliùs exarari non ſinat niſi Tuis* Mecænas Illuſtriſſime *pennis. Per me formâ Oratoria delineatus D. Princeps in Tuis ſe vult reponi manibus; meum erit precari: ut ſub Ejus Patrocinio* Mecænas Illuſtriſſime *annis cumulando annos, ſucceſſibus ſucceſſus jungendo, incolumitate ipſa etiam ſuperando fata, ad decus Domus Illuſtriſſimæ, ad tutamen Patriæ & Eccleſiæ vivas longævus. Ita precor.*

Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ
Dominationis Veſtræ.

Devinctiſſimus Cliens.
Author Operis.

ORATIO.

STupendas Oratoria ſvada rapitur in Erotheſes prodigium hodiè mirata novum, cùm ad primum laudis GEDROICIANÆ Exordium, grandi Elogiorum premitur cothurnô, ac dicendi torcularî preſſa, non tantùm ſalientes gloriæ non prorumpit in ſcatebras, aſt nec aridas quidem volvit arenas. AA. Altum equidem Magni GEDROICIANI Nominis Pelagus eſt: ut navigetur; aurei velleris geſtatores Iaſones: ut circumdetur feliciores fortunæ Piſcatores Thymotheos: ut ſine turbulentia attingatur, Æquoreos Domitores Neptunos oneri tanto impares eſſe, non eſt paradoxum. Feſtinant ad altum hoc in paginas excurſurum, cum Plinijs Encomiaſtæ, ut Diviniorem Trajanum leniori laudum elevent ſuſurrô; aſt ô quàm ſæpè Icareîs inſtructi phalaribûs, Magna dant Nomina Ponto! infra ſilentia abeundo, voci ſparſæ per auras alta conticinia

imponentes. Quis enim ſplendor Pòëtarum Homerus? ut Verioris Anchiſæ Sobolem, Sanctiorem Æneam GEDROICIVM, Elogiorum ſyllabô poſſet recenſere? Quis facundiſſimus Cyneas? ut Probabilioris Pyrrhi, fervidô amoris Divini armati munimentô, tentaret laudes. Quis Claudianus? ut Sacratioris Styliconis Romani, gloriæ Virtutum appretiatæ, Trophæis, ſufficeret ad Triumphum. Quis Apelles? ut Novi Alexandri, de Infernalibus Hoſtium catervis Strenuiſſimi Triumphatoris encomia, terſiorî penicillô dignus crederetur adumbrare? nullus eſt. Sanctior Julius GEDROICIVS, nullos patitur Encomiaſtas, Ipſe ſuô calamô laudari dignus, Angelicæ ſuæ Vitæ Author & Orator approbandus. Intaminatæ Virtutis Ejus adeò ingens ſyllabus eſt, ut elevatos Elogiaſtarum Genios labi velit, Illum menſurare volentes, qui ſupra mentes humanas, ſupra omnes ſortes & Honores aſcendit; Cùm Illius Excelſa Altitudo tantæ ſummitatis ſit, ut illam nec Rhetorica Gradatio attingere queat; tanta Elogiorum multitudo, ut nec Oratoriô valeat calculô comprehendi. Supprimuntur Oratorij Spiritus, dùm Immortalem GEDROICII Vitam præſumunt exordiri. Rumpuntur Rhetoricæ Thaſes dùm meritorum ſyllabô onerantur. Diſcinduntur Schinotenes, longô verborum diductæ ductû. Protenſæ Auxeſes adeò intenſô Elogiorum diſſolvuntur ſyllabo; ut vix eis ſenſum tangere, non ampliare conceſſum. Florida Styli venuſtas ſubitò marceſcit, poſtquā Nativā GEDROICII Roſam tornatilî verborum orbitā adornare cupit, & eò magis

langvet

langvet quò magìs in vòces pullulare prætendit; cui hæc ſpinarum jacit habenas, ut ſub roſa tacens dicendi abſtineat à florentia. Intrà ſui margines exſiccantur Fontes Oratorij, pellucidas deperdunt lymphas, dum Scientiarum Fons GEDROICIVS ſua explicat fluenta. Nec convenit Fontinalia celebrare Idiotîs, ubi Altum Virtutis & Honoris GEDROICIANI metiendum. In vanùm eſt, etiàm Cryſtallinos aquæ ductus in Elogiaria exundare folia, novumq; trahere artificium; Elevatô murmure fluens Alti Sangvinis GEDROICIANI Oceanus illis terminum ponit, qui cùm immenſus ſit, in illo dicendi gemmas & uniones piſcari nodus eſt. Periculoſa namq; debilis ingenij cymbæ fluctuatio dum eruditum GEDROICII ingenium Tullianos penitùs ebibit fontes. Ad gladialem MICHAELIS fulgorem, arte docti, ingeniô politi, & terſi Oratorum Genij Veſpertiliones exiſtunt, vix cum irretortis Aquilis levant palpebras, illicò prævalente luminoſæ Virtutis qualitate, robur ingenij amittunt, & in terræ latebris cùm cæcutientibus talpis latere malunt, Si parvam ingegenij nituntur accendere tædam: ad Occaſum vergunt, ſi Meridie Virtutum fulgentem GEDROICIVM illuſtrare volunt. Quid ultra? ad acumina gladij, ratio dicendi hebeſcit, ſenſus læditur inops, tremulus Oratoris Spiritus exſpirat, vires perorandi vacillant. Ad Mitrati Principis Purpuram, arte textam, oſtrô laboratam, murice tinctam, nullus eſt qui non ingemiſcat, purpureiq; ruboris chlamydem non reportet. Ponderoſum Elogiorum GEDROICII pretium eſt,

cujus Atlantis non defatigabit lacertos? Veneranda Prĩcipis Majestas, cujus Augustô deprædicabitur ore? Excelsa Celsitudo cujus ingeniô penetrabitur? prægrande laudis pondus, quo intensiori dicendi premitur vehementia, eò steriliora reddit ingenia. Princeps MICHAEL est, alios suo Nomine cùm fortificet, solos Oratores in robusto dicendi debilitat apparatu; congestum Eruditionis pretium suo excellit valore, excelsa laborantium operum conamina superat, Ingeniorum in Ejus contendentium Apotheoses, Idæas confundit; ut appositæ Principis ostrô rubescant, justôq; pudoris tingantur purpurissô. Descendat ab Exedris Romanæ gloria lingvæ Tullius, ut aureo ore Principis aurei appretiet dotes, Illius tamen valorem non ditabit. Spargat facundo ore svaves dictionis rosas Hortensius, nec adhuc Illius florentem adornabit famam, nec fragrantissimum Nativæ Rosæ augebit odorem. Fulmina loquatur Pericles, Tytanea GEDROICIANARVM Virtutum Lumina non illustrabit. Aureos jaciat Hercules Gallicanus torques, per concatenatos Virtutum nodos, non deveniet ad centrum Elogiorum. Svaviloquos Nestor fundat de faucibûs favos nectareis GEDROICII laudibus nondùm satìs ad palatum. Iactitet Divinus Hyblea mella Plato GEDROICIANORVM Elogiorum alvearia non implebit. Imò Regina Animorum Eloquentia Dignitariam deponat Majestatem, ut subditam & tributariam suæ facundiæ præbeat submissionem: Sic fastuosiore dictionis Spiritu quò sublimiùs Tullianæ svadæ eluctatur eminentia, eò se in profundiora Virtutum Ejus abdita

retrusam

retrusam obstupescit; quò manifestiore amplitudinis Illius procedit argumentô, eò strictiore tenuitatis suæ gracilitate circumfusa sub Nativa Ipsius Rosa pessulum imponit lingvæ. Ejus nempe admiranda Elogiorum eò usq; processit amplitudo, ut Magnorum Virorum capi non possit orbitâ, & Celsitudo tanta, ut fragilibûs nequeat levari pennîs. Ille in Principali Purpura ob ingentem modestiam Typus Humilitatis; in simplicissimo corpore, Scientiarum Oraculum: in peraugusto Antenatorum Splendore, Phæbus Serenissimus: quomodò ergo in Illius assurgēdum encomia, quandò quidquid laudatorum proferunt labia, clarissimum Virtutum splendorem umbratili dictionis involvunt sypariô. Fatiscunt jam fatiscunt ingenia, sub grandi Virtutum meritorumq; GEDROICIANORVM Magnitudine, omnis Eloquentiæ succumbit labor sub Elogiorum pondere. Multô sæculô prospectabant ingentibus desiderijs GEDROICIVM plausus Oratorij, elevabant per Fastos Elogiastæ, non tamen adinvenêre dignum, quod Illi sufficeret ad Elogium. Meretur laudari, sed non potest; Cujus merita supra laudes eminentia (quæ mirari tantùm & colere, non Oratororiâ celebrare Apotheosi, concessum) hebetant calamum in sui panegyri; dum illa justè exarare intendunt, immortalia sunt, mortales non patiuntur Encomiastas. Erubesce itaq; depressa dictio, coram Principe Purpuratô; ad Nativum splendorem Ejus in mutam Statuam obrigesce. Ad Ver GEDROICIANÆ Revolutionis, spinas & tribolos Tuos experire. Non tamen ita ut saltem humi

 serpente

ſerpente Eloquiô tributarium MICHAELI non reddas honorem, quem utiq; Princeps acceptabit, Magnorum Aboriginum ſplendor ſvadam quantumvis humilem non aſpernabitur. Longô Syllabô diductorum per Antenatos Honorum Idea vera, minimas notas non repudiabit. Elevatus Ille Virtute dejectum eriget animum, ut in Auxeſes aſſurgat Oratorias. En GEDROICIVS, nunc ſe Echonem inter duros Pænitentiæ Caucaſos vocalem; nunc Oratorem ſub Roſa diſertiſſimum; Nunc Diviniorem Alexandrum, Polonum dirigentem Orbem, Nunc Theſaurum ſub Purpura non abſconditum; Nunc Periclem Roſas pro fulmine ſpargentem; ſeſe offert comprobandus. Ab his tamen tantiſper abſtinebo deſcriptionibus, cùm mihi eſſentialis Illius præbeatur definitio: Regularis nimirùm de Pænitentia Canonicus, Angelicæ Vitæ Regula debet demonſtrari. Proinde Patriarcha Diviniſſime quem Tibi elegiſti, Eundem ab imbelli Oratore ſuſcipere non dedignaberis Honorem. Canonicatus Regularis de Pænitentia ſummè placuit Tibi; voce paululùm diſcrepans, re idem ſonans Elogium, non diſpliceat. Et quia Angelicæ Vitæ Regula es, Diviniſſime MICHAEL GEDROIC, imbelli ſvadæ prodromatrices non denega ſuppetias, ut debito Elogiorum Tuorum adſtipuletur Cothurno. Oſtendam Vobis Auditores Digniſſimi GEDROICIVM Diviniſſimum Regulam Angelicæ Vitæ, faciles benevolentiæ Veſtræ eidem accomodate aures, quidquid imbellis dictio explicare non poterit, Vos pro pietate in Principem Diviniſſimum ſupplebitis humaniſſimè.

Vivere

VIvere quemq; velle prætendere feliciter, innata boni fert corde voluntas; vivere ad suæ Regulæ correspondentiam, raritas felix & specialis qualitas est. AA. Vix etenim homo vitalem incipit auram, jam vanam captat; vana petens & prætendens ut de Numero felicium adoretur. Nondùm novellos pedemate faustô incipit scandere gressus, jam magnanimitatis, sed ò quam exiguæ aggreditur iter: jam dat ei gloria calcar, cùm putando se felicem Mundanîs illecebrîs capite tenùs immergitur, suæ statum conditionis ignorando. Adhuc Matris ab ubere pendulus, jam uberes cum lacte sugit appetitus ad bonum fugitivum. Vix palmam extendit, jam elicitos conatus palàm profitetur, jam sui votum asserit enixum, felicitatis reportare palmas. Quot passus numerat, tot sortium Candidatus fieri exoptat, vitæ fallacis spe seductus. Quid? si maturiorem graditur in ætatem, æstatem verè, vere infelici ardentem, quia Syriô cupiditatis infectam ardore (maturiorem intelligo felicitatem) inextingvibili sitî quærit inflammatus. Ad monstriferum Stygijs enutritum cunis fætum, avaritiam, Tantaleam accendit orexim; ut fætidâ affectus peste, in omni felix supponatur. Fortunarum sedulus Indagator in omne periculi resolvitur nefas, cui Auri Sacra fames excitat inextingvibiles amores, bilem causando probitatum & mortis propinando terrorem. Ferrum mortemq; timere nescit amor Nummi, in Marina etiam resolvitur pericula, quamvis hæc naufragus ore bibat, adhuc tamen digitô uno à morte velificare cupit. Rebus solenne secundis vitium invidia, o quàm

multorum amentem occupat mentem, poſtquam vitæ felicitatem ab illa dependere rati, hanc terminali infelicitatis Epilogô claudunt. Aliorum Magno faſtui nec Avitæ Antenatorum Ceræ, nec pictæ Parentum Imagines, nec fortunarum Gazæ, nec ſplendor gloriæ ſufficit: adhuc ſudant, ut novîs cumulentur Nominibûs, Nova decora & ornamenta gloriæ nanciſcantur. Ob miſeram felicitatem colores effingunt verborum; ut Purpuram ſibi depingant, candorem ceruſſatum demonſtrant, ut Candidati Titulorum fiant. Poſtquam verò aſſurrexerint ad ſublime, parùm curant utrum cum eis aſſurgat Regula Bonæ Vitæ, an proſtrata dehiſcat. Verbô: omnium unanime votum eſt, ut vel aurea ſæcula ferens Saturnus, vel felicitatis documentum Policrates, illorum vitæ præſides fiant. Sed ô inanes ejuſmodi conatus! Quid prodeſt honorum poſſidere Curules? quid prodeſt fortunarum congregare copias, ſi ante omnia Vitæ Regula non ſervatur? Quid prodeſt maximis parem eſſe præeminentijs, quem vita bonum Pumilionem oſtendit? O quantum inane eſt, Purpuratos quærere Honores totumq; abundare divitîjs, ſi quis Regulam Virtutum non colat! Quid prodeſt Honorarios Conſulum Faſces, Dictatorum Trabeas, aliosq; Illuſtriſſimos ambire Titulos, cùm funeſta inſtat undique Virtûtum eclipſis. Non inſtruunt diducti Tituli à Virtutum Regula devium nec rectificant. Tenebreſcere videntur non clareſcere, qui extra vivendi Regulam felicitatis fulgores quærunt. O quàm vanum eſt bona prætendere & quærere, vitam illam rectiorem deperdendo. Pulchrùm

quidem

quidem est, ad benè vivendi aspirare conditionem, sed ita, nè orbita statûs & conditionis excedatur Regula; quam discere à GEDROICIO Angelicæ Vitæ Regula suaderem: Benè namq; GEDROICIVS novit, quomodò ex florigero Virtutum Vireto Angelicæ Vitæ carpere fructus, quomodò illam vivere Regulam, quæ Cælestem felicitatem ominatur. Cum primo etenim lucis Illius exortu, omnium Virtutum affulsit meridies. Illustres GEDROICII Ceræ, Illi probitatis intaminatæ accendere fulgur, ferventem Devotionis ardorem inflammavêre. Vt primùm Hic tenellis involutus fascijs, jam ab Ejꝰ puerilibus lineamentis strictioris Regulæ fascis poterat deliniri, & Angelicæ Regula conijci vitæ; sed tunc vel maximè, cùm Infans Baptismali irrigatus fonte, & faucibûs rubicundis accepit salem Sapientiæ; ut Infernalis Orci lyncem obrueret Nyctalopiam, toti verò Christianitati nectareum fieret condimentum. Angelicæ Vitæ Regula GEDROICIVS, MICHAELIS sumit Nomen, decet etenim Principem, Principis etymo insigniri, Angelicæ Vitæ Regulam, Archangeli pulchrum fortitudine roborari. In delicato tandem Principis Lucinæ sinu, decenter educatur, colitur honorificè, tractatur comptè; nam *maxima in exiguo regnabat corpore Virtus.* Cum Materno quidem lacte Principis suxit Purpuram, (quam Alti Sangvinis Mare Tyriô depinxit murice) inter infantilia malorum crepundia Imperij pomum nativis prælibavit suffragijs; (quod procera Consanguinitatis fructificavit arbor) hæc tamen Infanti arridebant GEDROICIO, postquam benè no-

 verit

verit suam Indolem ad majora natam, & Serenissimæ Virtutum Majestati præsidere, supparem se advertit. Nascitur GEDROICIVS inter Principum Flores Rosa fragrantissima, sed sine spinis; quia sine omni nefandorum scelerum punctura. Nondum maturioribûs annîs explicatus, jam ad stuporem Orbis suam explicavit vernantiam. A Veriori Trabeata Latona Genitrice sua Divinior Apollo GEDROICIVS, pietatem liligeram, innocentiam candidam, pudorem roseum, puritatem niveam, suxit; quia hæc ad Angelicæ Vitæ Regulam reducebantur. Vel à probabiliori veriùs Iunone Matre sua, lotum Lilium GEDROICIVS, monstravit quali Sanctitatis odore, liligerâ Angelicæ Vitæ integritate, ad totius Vniversi refocillamentum in ulteriori florere debeat ætate. Maij Feria GEDROICIO vitalem dedit lucem; novit perbellè Illum omnis perfectionis medullam ad totius Vniversi medelam crescere, augmentari. Ad veris tempora Infantilis florem aperuit ætatis, ut verum suæ amænitatis in Virtutum tractu præberet indicium. Ad Nativitatem Illius ridebant amæniori vultu prata, investiebantur arbusta, folia virescebant & lolia, minimo pendentia ab imo clemata, & fruteta, erigebantur, GEDROICIVM Natum, Regulam Angelicæ Vitæ futuram volentia salutare. Pennaticæ volucres novos formabant concentus, Harmoniacas prorumpebant in voces, Hospiti novo concinnè detonantes: Videre erat in tenello GEDROICIVM vere; quomodò Vitæ candorem, fragranti odore Virtutum concinnabat, quomodò loqui nescius, af-

fectuum

fectuum ardore infantiles ad DEVM excitabat affectus; hoc sibi gestû mereri volens, quod alij Devotionum gestis. Nil majori Illius potuit accidere gustui, quàm ex Virtutum Cultoribus ulterioris fructum carpere profectûs. Nullum objectum naturalia serenare potuit lumina, quàm ut Numinis Altissimi Ideas speculetur, à quibus Vitæ normam derivaret. Ex puerili GEDROICIO, pietatis Ectypum poterat efformari; cùm singula corporis lineamenta omnis perfectionis puncta figurabant, adeò; ut etiam cuncta crepundia à Dignissimo GEDROICIO longè deviare deberent. Natum in Mitris, fasciatum Purpuris, Virtutum cohortes adorabant, Elogiorum fasti venerabantur. Stravit Infanti Scientifica Pallas, immarcescibiles Sapientiæ palmas, reptantem in fascijs, fasces colebant Honorum, Infantiles lachrymas terserunt murices, pro fascijs præeminentiarum Vittæ, pro crepundijs aurea recreabant poma, illa nihilominùs GEDROICIO non ad gustum. Scivit enim se Angelicæ Vitæ Regulam extiturum, & illa sapuit, quæ Angelica fuere. Non contentus GEDROICIVS quia Magnum Illi Cunæ natales dederant Nomen; majus ab innata Virtute ampliari curavit, maximum ab ejusdem inconcussa gravitate probavit; quandò adhuc Infans, jam singulis ad exemplum, quoties gemina sidera oculorum vibravit, toties ad Lumen Infinitum DEVM continua suspiria, affectus inextingvibiles jaciebat: toties expugnabat Cælos, quoties ferventiores jaculabatur actus, toties Superûm captivabat favores, quoties pietati manus conserebat: quoties erectum sidera

versûs composuit vultum, toties clara Sidera Cæli Spiritus Beatorum, rectô cultû adorabat; Ad illud Virtutis onus tenero nutantis animi proreptando nisu, quòd tantummodò Gyganteis permittitur vibrari passibûs, quòd non Pumiliones lacertos, sed Atlanticum robur exposcebat. Lachrymarum gemmam provolvens Pusio, Triados Sanctissimæ Vnionem continua mente revolvebat, Illibatîs Sacrosanctæ Fidei Dogmatibûs instruebatur; ut Regula Angelicæ Vitæ eniteret Vniverso. Iuvenis GEDROICIVS quot scandebat gressus, tot Heroicos numerabat passus, dum rectô tramite Sanctorum vestigia Virorum mente generosa sectabatur. A prima Vitæ aurora certarum de ignoratiæ hoste victoriarum meridiem anhelabat. Parum erat GEDROICIO tenerioribus ab annis Illustrissimo Antenatorum fulgere splendore, rebus augustis admovit generosum probitatis Animum, in annorum tractu omnis modestiæ & cultissimarum actionum aggrediebatur culmen. Præsumere quidem svasit ductum ab Inacho genus GEDROICIO, (cùm quæ sunt alta non ad ima tendunt, minores surculi Libani, quia naturali magnificentiâ gaudent Cælum versùs eluctantur. Volatilium Regina suæ dignitati correspondens alias volucres antecellit volatû) punctum honoris eminere stimulabat; Ille tamen vilibûs viliorem, abjectîs abjectiorem sese existere opinabatur. Et licet nondum bene adoleverat, jam in latere volenti modestia omnibûs vocalior, elavatâ mente cacumina tangebat, in puerilibus annis Virtutum imbutus senectâ. Nondum sufficientibûs

viribûs

viribûs investitûs erat, jam pro DEI Hônore non sine zelo scivit decertare. Crescebat annis, sed non sine succrescente bonarum actionum probitate, non sine benefica erga infimos authoritate. Elevabatur altiùs corpore, omnium curæ acclinatus, ut se inflecteret ad depressos evehēdos, singulîs intimabat Angelicæ Vitæ Regulam, quâ in salutifero regularentur cursu, Ipse ad exemplum regulis innatæ modestiæ conformem curando profectum. Insculpebat memoriæ pientissimorum Virorum opera, ut teneræ ætati paria, aut certè majora in se demonstraret; illa quotidianô Virtutum ampliabat numerô; & licèt tener videbatur annîs, moribûs tamen grandævum Nestorem præseferebat, cujus ætas Virtutibûs, & pulcherrimis exornata dotibûs, omnium animos, omnium pectora recreabat. Singuli GEDROICII dies, ut aureîs constarent momentîs, illos Scholasticô Eruditionis pulvere mensurabat Gangeticis arenîs potiore. Nil magìs GEDROICIANAM ad Magna natam appretiabat mentem, quàm cum Musis conversari; nil tetricum valebat pellere genium, quam Apollinis Cithara: idcircò initiantibus literis suam consecravit operam, & quantum capiebat profectum, enarrare non sufficit. Magno ingenij pollebat acumine, quia ut primùm ab Institutoribus prolata præcepta Illius impleverant aurem, mox singula subtilis capacitatis penetrabat animô, (verè aurei capitis,) ulterioris promotionis laurus capessendo. Ad Augem Virtutis & Eruditionis evectus, ipsô ætatis vere plus sapuit, quàm alij in Autumno, quia omnis Studij cursum prævenit festinatione Virtu-

tis, annorum tractum celeritate ingenij superavit; cùm optimè didicit: quid sit venerari probitatem, quid pietatem sequi, quid literarum adire altum, quid docti sudoris unionibus valorem suæ limatissimæ perfectionis addere. Velocitate ingenij, solertiâ mentis, alios præcurrendo, in erudita responsione nunquam sedit fatigatus. In Studiorum cursu singulos morum pulchritudine excellebat, vocis & oris svavitate triumphando. Talibûs Professoribûs usus, qui intensam Ejus in studijs cohibuissent sedulitatem; quæ quàm solida fuerat, vel indè conijcere licet, quòd Sapientiæ in sola pietate solidum erexerit fundamentum. In Grammaticis casibus didicit priùs vitare casus, quia in illos cadere nescius; si cecidit, tunc tantummodò cùm ab Alpha & Omega in Scientijs rectum conscientiæ auxilium imploravit; quia ita cadere, didicit idem esse, ac si surgere in sublime. Declinationi à malorum numero studuit optimè, partes orationis quoties mente revolvebat, toties totas ad DEVM dirigebat, quibûs effusîs, suis desiderijs inflectebat Cælos. Conjugationem primam (nempe amo DEVM) coluit secundissimus, illam incessanter corde recitando. Comparationibûs talibûs usus, ex quibus Angelicæ Vitæ Regula facilè conijci posset. Tantîs Virtutum gradibûs justè bicollem adijt Parnassum, in quo Citharam Virtutum suarum pulsavit svaviter. Innixus pedibus Poëticis mente revolvebat, ne aliquando à via Iustitiæ aberraret, æquè pedes in carmina, ac ad orandum genua componendo. Fictiones formabat non alias, nisi quibus immundum falleret Mundum. Quantitatem omnis modestiæ

destiæ incrementô Virtutum crescere faciebat. Scansiones instaurabat non alias, nisi quæ Regulam Angelicæ Vitæ ornant, nempe quibûs, de Virtute in Virtutem, de bono in meliùs, de perfectione in perfectiùs curreret, properaret. Tullianum vomere ingenij adeò excolebat campum, ut laboris Illius semen in copiosum Divorum Gloriæ cederet messilegium; talibus utebatur periodis, quæ Spiritus Altissimi ductum præseferrent. Illos impetus formabat, qui terminum Empyreum impetebant. Non alias faciebat Parentheses, nisi inter quas innata lateret, morũ compositio. Tortilî Orationis vinculô, disunitos animos colligabat, vocum connexione Gallicano Hercule melior, tot annulîs, quot verbîs corda obstringebat. Dicendi flagrantiâ Pericle fervidior, qui fulmina verborum jaciebat, hîs extincta ad Superos accendebat, ferrea demolliebat pectora, verè Angelicæ Regula Vitæ. Ab Ejus ore non verba ferebantur sed Oracula, quibus mens Palladi sacerrima respondebat. Assurgebat ingenij svavitate supra omne politæ mentis acumen, & venustatis elegantiâ, Pericles, Hortensios, Cicerones, non tantùm adæquabat, sed longè superabat. Porphiriana fructus carpendo ex arbore, fructum Angelicæ meditabatur Vitæ, ut in svavem emolumenti cæterorum, abiret portionem. Arbor hæc: ne sterilescere videretur, illã immarcescibilibus Virtutum surculis implantabat; eruditô quotidiani sudoris irrigabat purpurissô. Vt primùm demonstrativos cæpit formare Syllogismos, semper in Virtutum forma se esse gloriosum demonstravit; dum instauravit probabiles, evidenti ratione probavit,

omnem Scientiam consistere debere in pietate, cujus Ipse factus documentum: quando Sophisticos renovavit, ô quàm pulchrum contra depressionem Infernalis Sophistæ didicit dilemma in bono perseverantiæ; ne ab Angelicæ Vitæ Regula in minimo aberraret puncto. O quàm optimè astuti Mundi cognovit fallacias, Eum oppugnare aggredientes, & ex argumenti filo, Illi parantes laqueos; Sophismata hæc cùm bene noverit, benè omnia negans non admittebat malè oppugnanti conclusionem. Philosophicô ingenij ratem committens Euripô, ad Mare Gratiarum DEVM eam dirigebat, adeò; ut Angelicam ex Sanctitate, & Sapientia adiret Regulam, nunquam aliter Scientiæ concredendo vela, nisi felicem ante remigium experiretur malaciam. Inter Logicales spinas, odoriferas colligebat rosas, ex quibus Hybleum Eruditionis nectar delibabat. Gradatim tandem ulterioris Scientiæ iter arripiendo, sedulo conamine Platonis sequebatur vestigia, Numam imitabatur, imò Verior extiterat Numa, Religiosarum actionum Inventor, an potiùs Angelicæ Regula Vitæ. Audire erat GEDROICIVM in Philosophica Stòá docta moventem jurgia, Cujus sublimis mentis acumen neminem punxit, ast singulos per certamina dulcoravit, quia præcelsô GEDROICIANI Ingenij animô, nil elevatius, Serenissimô splendidæ rationis lumine, nil clarius videbatur, qui tenebrosas vitiorum caligines propellebat, ut Angelicæ Vitæ Regula nosceretur. Post tot & tanta Scientiarum experimenta, expeditus Philosophus cùm in aliorum resolvendis difficultatibus promptissimus

ptiſſimus fuerit, etiam & ſibi Ipſi objicit Theſim, ſed quantæ difficultatis? audire liceat. Vidit nimirùm Orbem hunc plenum periculis, nil aliud, niſi mare procelloſum eſſe, in quo *quaslibet ad partes animus nutaverit, anceps hærebat*; in quo latrantes Scyllæ voraceſq; Mundi Charybdes ad optatæ ſpei devenire negant promontorium; vidit quàm in Mari hoc incerta Salutis æternæ velificatio, & ſic inquirit: Vtrum poſſit Maris hujus tantæ reſiſtere turbulentiæ? Sanctitatis itaq; bene fundamenta intelligens, affirmativè concluſit; quòd evidentiùs probaturus, Religioſam elegit vitam; in limine clauſo aperta fallacis Mundi lenocinia, optimum eſſe evitare, docendo. Sed quid agis ô Princeps Diviniſſime? eligis Religionem ad excolendum Virtutum negotium quod etiam in Purpuratis poſtibus poſſes exercere; an ne fortè ignoras? quia etiam Regales limites ſuâ gaudent verecundiâ, dum ad conſervandam integritatem pervigil cuſtos excubat innocentiæ? utiq? et aurati poſtes Janitorem habent Virtutem, quæ ad minimos impulſus ſcelerum, cautam ſuſcitat innocentiam, ut cordis nitorem tueatur. Ergone Stirpe Genus clarum, Cæloq; affines Aboriginum Imagines, vetuſtiſſimæ Proſapiæ ampliationem minues? Prima Lithvaniæ Lumina & columina labi permittes? Ergone virentem Magnæ Conſangvinitatis eradicabis Arborem? Domum Paternam abijcies & contemnes? utiq; ex te Patriæ Fulcrum, Domûs decora, Honorum Augem, ſurrecturam Mitrati ominantur Parentes; utiq; alij per fraudulentas ſemitas, per vitæ diſpendia curſitant ad Honores, & tu Nativum

 Principa-

Principatum renuis? belligeros Clypeos Tuas excubantes ad plantas abdicas? Itane comparatas opes, extructa splendidô sumptu gazophilatia, deseris? Ita est: volubilia hæc & continuâ alteratione pressa GEDROICIVS didicit, & ideò contempsit. Revocabatur quidem à tali proposito GEDROICIVS per blandimenta Parentum, per Objecta Religiosa silentia, per inassvetas molestias, per explicatam quotidianam quâ angebatur infirmitatem; sed ad hæc GEDROICIVS in forma respondit: *Cunarum labor est angves superare mearum*, utiq; *Annibali opposuit natura Alpesq; Nivesq;, Ille tamen diduxit Scopulos & montem rupit aceto*, Quidni ego singulis difficultatibus repulsam dare non sufficiam? Inanes sunt dissvadendi artes, ubi Regula perfectionis construitur, & citiùs gutta cavaret lapidem, exiguo à Sangvine mollesceret adamas, quàm infractum GEDROICII pectus persvasionibus blandis, acquiesceret. Angelicæ Vitæ Regula est, talem quæsivit statum, in quo Angelus in vita crederetur. idcircò tot gyrantes elusit astutias, falsa mundi sprevit promissa, singulas Orbis infra se posuit felicitates. Adhuc in mundo, & jam nil agebat quod immundum esset; adhuc sine Regula, & jam Religiosissimam Vitam præferebat. Necdum liligerô vestitus habitû, & jam candidâ Crystallinæ conscientiæ indutus veste, quid ampliùs Ei flagitandum erat, nisi tantæ Regulæ Vitæ firmiora præcepta quærere? Proinde accingit se itineri GEDROICIVS ut Religiosum ingrediatur Orbem, & obtinet quod optat, dum feliciter Sacræ Religionis ingreditur limina, & inter Sãctos Sanctior apparet, inter

mortales

mortales nil mortale agere videtur. Ex Vireto Vigentiſſimo Domûs, Auguſtiniano Byſtrzycenſi Canonicorum Regulariũ de Pænitentia Viridariô implantatur, Roſa vireſcens GEDROICIVS, odore Nativo fragrantiſſima, & pro abdicato jure ſucceſſivo ſui Principatûs, Succeſſionis æternæ Hæres fieri eligit, pro Purpureis Dibaphis, Principalibus Trabeis, candore induitur ceruſſatô, pro congeſtis gazis, Cimelijs, Carcheſijs, unicam profitetur paupertatem. Pro Auguſtis Palatijs, Religioſam ambit cellulam; pro fulgentibus ſuper tenerum pectus affixis ſideribus, ſignum Salutis Purpuream Canonicorum Regularium de Pænitentia recipit Crucem, quam non Murex Senatorius, ſed Sangvis Æterni depinxit Regis, qui ex latere, vulnerumq; ſcatebris promanavit, ad levandas maculas Vniverſi. Crucem hanc, Æternitatis auſpicium, Scientiarum frondivivam arborem, militiæ ſuper terram humanæ triumphale Trophæum, cujuſvis boni nutus omen infallibile venerabatur, cujus auſpiciô Ille concreditus, nullos verebatur Avernalium inſidiarum anfractus. De hâc frondiviva arbore Divinis plena ſecretis Scientiarum carpendo fructum ita proficiebat in ſapientia; ut eruditus evaderet in æternum. Illud Trophæum quoties invocavit, ſemper Illi pro ſpolio pendebat Avernus. Nativam Porajorum Roſam veriorem Paradiſum credidit, in quo Numen Cæleſte ſuam Laurum, ideſt Crucem plantavit. Crux hæc Exaltationis intonabat Feſtum, GEDROICIANO admota pectori: quidni itaq; GEDROI-

CIVM & Angelicæ Vitæ Regulam non exaltet. Nunquam potuit venustiùs Religionis Canonicorum Regularium de Pænitentia reflorere Corona, quàm ex collatione GEDROICIANÆ Rosæ, ex qua Ver Novum Illi fecit oriri GEDROICIVS, cùm Virtutum fragrantiâ Illam ampliavit. Incedit in tincto candidô colore habitu GEDROICIVS, ut Virtutum candor clariùs in Illo videatur. In Religione Novitius, sed Sacra Virtutum maturitate, Novitiorum Magister. In Religiosa cupiens latere Cella, aliĵs vocalior præcellebat, quia Sanctitate Vitæ nemini non publicus extitit. Et quia Bystrzycensî capi non potuit Claustrô, Cracoviensi communicatur. Non poterat coarctari Climatis unius limitibus; Virtutum meritorumq; Magni GEDROICIANI Nominis amplitudo, implet etiam Craci mænia. Alijs unum clima sufficit ad campum merendi, Angelicæ Vitæ Regulæ GEDROICIO nequit sufficere. Applaudit Hospitis tanti adventui Poloniæ decus Cracovia, quòd tantum nacta Virum, quô possit protegi & defendi, cui pectora sua reseravit & gaudia reclusa expandit. Ingreditur GEDROICIVS Marci Sacerrimas Ædes, Leonis instar vigiles & insomnes in Orationib9 peracturus custodias, seu potiùs Angelicæ Vitæ Regula Virtutũ Ideas omnib9 intimatura. Inflectitur brevì, ad Ædes Marci Sacræ Divorum Aræ GEDROICIVS, & suæ Religionis facit Professionem, ut Angelicæ Vitæ Regulam profiteatur; strictioribûs quotidiè exercetur GEDROICIVS in Virtutibus, corpus alit inediâ, mortificationibus ipsis vivit, membra jejuna reficit

ficit abſtinentiâ, famelicam ſitim ſaturat carnis compreſſione, adeò ut *Ei nec ſint vires nec qui color ante ſolebat.* Continuo labore plurimùm laſſatis membris ſi minimum libavit cibum, ideo tantùm; ne in via probitatum deficeret viribus. Fervebat ardore devotionis erga Superos & talia Virtutũ exequebatur officia, qualia agere non omnibus conceſſum; & ut in concuſſæ Virtutis opus à primo rationis lumine ædificare cepit, ita quotidianô devotionis ampliabat ſumptu. Quandòcunq; procelloſas tentationum turbulentias GEDROICIVS aſſurgere advertit, ſtatim illas Divinior Neptunus Devotionis tridente compeſcebat; fragilitatis humanæ Typhones quoties excitari vidit, ſemper illos Tytaneo Orationum adurebat ſplendore; quẽ ut primùm ad DEVM elevavit, mox plus quàm Veſuvij inflammatus ardore in inextingvibili devotionis fervore ſibi æternæ gloriæ trophæa accendebat. Omne Illius otium fuit Sacra Devotio, quâ Superos obligabat, ne infortuniorum vinculis ſtringeretur Univerſus. In GEDROICIO Angelica puritas liligerum candorem, infractum Virtutis robur, gravaminoſi peccatorum totius Mundi, ponderis contritionem, animi generoſitas, profundæ eruditionis pretium, plus quàm auri valorem, cooperante Cælorum concurſu efformavit. Sic GEDROICIVS in corpore vixit, ac ſi corporeus non eſſet: ſic intaminatum caſtitatis candorem ſervabat, ac ſi non fragilitatis humanæ particeps fieret, ſed Virtutis Angelicæ. Quod mirandum minimè; Angelicæ Vitæ Regula eſt, non aliter Eum vivere decuit. Nullô cenſu o-

 pulentior

pulentior, quàm Virtutum, nullâ dote præstantior, quàm animi; nil enim in GEDROICIO advertebatur, quod Angelicæ Regulam non saperet Vitæ. Tot & tantæ singulariorũ dotum prærogativæ in alios, unitim in GEDROICIANARVM Virtutum summitate omnes concentratæ, sedem posueræ. GEDROICII humilitas, Ipsum latere volentem, maximum intonabat, ad Cujus penates nemini unquàm difficilis exciterat aditus, & quicunq; Orationis Illius imploravit auxilium, semper faciles ad sua vota DEOS agnoscebat. Servavit GEDROICIVS in silentio modestiam, sed disertam; sustinuit cum sui læsione patientiam, sed lætam; omnia adversantia imperterritô tolleravit animô, sed hilaria, certè Angelicô suffragiô, quia Angelicæ Vitæ Regula. Videre erat GEDROICII copiosam in egenos liberalitatem, qui miseræ afflictionum per lachrymas velificationi, ad portum gratiarum suarum facilem dabat accessum. Non frustra præcordialis vota miserorum impellebat aspiratio, non frustra desideria spem prævehebant egenorum, quorum indigentiam locupletavit GEDROICIVS: Cui, munificâ dexterâ quemlibet excipere, quemlibet in meliorem fortunam elevare, ferè consentaneum erat. Novit GEDROICIVS Amplissimarum Inclytæ Prosapiæ Cæsarum se decus & gloriam esse, & dulces liberalitatis eliquavit favos. Novit se PORAIORVM insigniri rosâ, & uberiùs stillavit operis Christiani succos, quibus ardua Mortalium vota reviviscerent. Videre erat GEDROICIVM insomnes semper ducentem noctes, vigiles erga Vniversum

sum absolventem curas; ut in lecto vitiorum dormientes, ad vivaciorem devotionum excitaret sedulitatem: quomodò majorem in Virtutibus profectum capere debeant, illis demonstrando; quomodo Immensa DEI Magnitudine seipsum nihili æstimare sciant, imò totum Vniversum cum suis illecebris odiô prosequi, edocendo sapienter; quia Angelicæ Vitæ Regula GEDROICIVS, Mundo dilectum neminem esse volebat. Ille pietatis ardore ferventes excedebat Seraphinos, liligerâ Castitate Infantulorum excedebat innocentiam, non intermissâ Devotione veros Christi Imitatores superabat, inediâ, disciplinîs, cupiditatum compressionibûs, veros Eremitas excellebat. Nil magis GEDROICIO ad delectamentum quàm diurnam ad DEVM Orationem insomni nocte continuare, sed non tenebrosâ; cùm Ipsum de Cathedra Crucis *CHRISTUS* Crucifixûs gratiarum illustraret radijs, ut ortum perennis gloriæ GEDROICIVS nancisceretur. Iunxit noctes diebus, ut indissolubilis profiteretur à *CHRISTO*; ante Cujus Cathedram, facundum pro domo Vniversi semper agebat Oratorem, & solidæ dando operam contemplationi, advolvebatur humo; Et bene: utiq; aggrestis herba spinis in altum consurgit acutis: odorati flores adjacent terræ, sterilis arbor proceritatem suam Cælis ostentat: fructifera planta cum ramis vix pede distat ab humo. Libera GEDROICIVS macerato corpori infligebat vulnera, multoties ingeminando: *hæc juvant hæc animi sunt alimenta mei!* quæ cùm Erebi Cultor pati non potuit, per insolitos rugitus, dentium corrosionem,

terrorem incutiebat GEDROICIO ut illum à pio abduceret opere; impavidus tamen GEDROICIVS majori et ferventiori ad Superos ferebatur Oratione, corpori innocuo grandiores disciplinas impingebat, quod postquam adverterit Averni potentia, cruentis plagis plagas, vulneribus vulnera, imprimebat, adeò: ut *nulla superfuerit quæ tegat ossa cutis.* Surgebant de nocte Infernales latrones ut jugularent GEDROICIANVM corpus, et scatentes apponerent scatebras; ab opere pietatis Angelum Incarnatum sive Angelicæ Vitæ Regulam amovere volentes. Sed patientissimè sustulit omnia GEDROICIVS, et eò majorî devotionis ardebat zelô, Jejunijs emaceratum Corpus lachrymarum irrigabat rore, ut animæ messis cresceret copiosior meritorum; seu potiùs ut sic emundatus, verus in carne Angelus crederetur, aut clariùs, Angelicæ Regula Vitæ. Ast ignorasne ô pulcherrima innocentiæ Rosa, hos enecare Scarabeos? ignorasne Sol Virtutum Illustrissime, nocturnas has dissipare umbras? minimè. Potuit quidem GEDROICIVS etiam totum Avernum à se propulsare, nisi nollet; noluit verò, quia suæ Magnanimitatis nempè patientiæ adimere vires recusavit. Novit se Adamantem infractum GEDROICIVS, incudi & malleo corpori perniciem hianti non irascebatur; neq; scatentia eliquata vulnera apprehendebat; cùm spreverat Infernalem Hostem, quem vicit, contempserat potentiam, quam calcavit. Nonne ergo Cælestis Spiritus est GEDROICIVS, qui Infernales superat Symplegades? nonnè Sol Virtutum, qui etiam obstantibus Infernalium

signorum

Planetis in Virtutum eluctatur Apogæum ? Nonne Incarnatus Angelus eſt, ſcandalum de via tollens, pedem ad lapidem Erebi non oſtendens. clariùs dicam: nonne Angelicæ Regula Vitæ inter Averni rogos perſeverantis Virtutis Trophæa ferens, & ſolidâ probitatis ſtabilitate, rebelles mulctans tumultus? Fruſtra itaq; nefandi Stygij hæredes vanas GEDROICIO opponitis tentationes. En Ille in devotionis curſu, ſine quiete, in Veſtrum lucta, ſine tædio; in continuis laboribus, ſine nauſea; illa agens quæ robuſtiſſimum pietatis Athletam & Virtutis Heròá ornant. Semper GEDROICIUS Magnanimus Victor in Avernum, Triumphator in hoſtem, decipi nullatenus potuit, præſidiariô devotionis munitus fortalitiô, vallatus fortitudine, plurimîs Triumphîs animatus. Quia huic indefeſſo Alcidæ GEDROICIO, nulla gravitas occurrit quam non vicerit, nulla ſe objecit Orci potentia quam non fregerit, contra fatorum minas Chalybeus: contra impetus, murus Acheneus: contra terrores, impavidus vinci. Poſt quod glorioſum Averni ſpolium, cruentiùs adhuc jam ferè ipſa arida oſſa ferreîs laniat cingulîs, in animæ decorem nodoſis obſtringitur funibûs; & hos aurea fila ſupponit. Sed nondum adhuc terminus GEDROICIANI certaminis eſt; adhuc conjuratus in Ejus perniciem Princeps Averni, ingentes accendit furores. Nondum Infernalis Cerberi potentia ſui Triumphatorem deſinit; cùm in Vigilia Nativitatis Chriſti, Vigilem in ſolita Oratione DEI Clientem aggreditur, numeroſâ Infernalium Monſtrorum ſtipatum cohorte vix non inte-

grum Charonium; ut agmine facto imperterritum prosternat GEDROICIVM; qui ad terram projectus rapacibûs ungvibûs adeò laniatur, ut veluti terra aratrô flagrorum scissura inaretur, & per Ecclesiasticum pavimentum ita à Phrenetico jaciebatur catomo, ut appositum Ecclesiæ stramen in paleas redegerit. Verùm expavescite & timete Tartareæ potentiæ, pestem portendit Vestris ausibus GEDROICIVS: ardentissimo devotionis fervore propalabit Vestras tenebras, in quibus Illi Sacrilega perpetratis latrocinia; lacerabit Ille funestos angves, docebit furentem Orcum, quomodo Illius mandato possit mitigari. Et factum est: quando enim jam non ob virium GEDROICIANARVM fatigationem, sed ob inanem Orci in tentationibus conatum, ingentî molestiâ affectus, petijt auxilium Tartarei Triumphatoris CHRISTI Crucifixi; adversariorum legiones expugnavit precibus; Insuppetias Aciem Castrorum Ordinatam invocavit, inflexit, in juvamen Olympum, & votis Numina captivavit. Obstupescite nunc Averni Cohortes; ecce millenæ vos prement clades. Delectabant tamen GEDROICIVM illæ contumeliæ, animô patienti toleratæ; quando pro illis à Solo encomisabatur Crucifixo: *Esto patiens usq; ad mortem & habebis coronam vitæ.* O Aurea GEDROICII merita quando ad Illorum Elogia Solius Crucifixi Panegyris spectat! O felicissimã noctem, quâ Illi Serenissima desideriorum affulsit dies! merita gemmis & adamante notanda, quæ non tantùm in Cælis copiosa expectavit merces, ast & in terris! Et non poterat Il-

lius

lius aurea tempora venuſtius coronare munus, non poterant infuſæ meliùs appretiari dotes, quàm de Scientiarum Archivo Vniverſitatis Cracovienſis, Laureâ Philoſophicâ. Parùm erat GEDROICIO Canonicatus Regularis, (& ſi adeò excelſus Honor, ut Magnô Lithvaniæ Principatû Illum ſibi magis æſtimaret, poſtquam Illô derelictô, ad hunc celeri Virtutum cucurrit tramite) debebat Illi major aliunde venire præeminentia, nempe Laurea de Iagellonico manipulo Corona, ut poſt aurea merita Illius ambiret verticem. Parùm inquã erat GEDROICIO Mare clauſtralis Sapientiæ, parùm Tulliani vortices, fontes Caſtallij; non ſatis domeſtica Auguſtini fovea, quamvis in eam Arcana DEI Cæliq; Secreta influxere. Hactenus mens ſitivit Scientias; quouſq; eruditum Vniverſitatis Cracovienſis Mare non libavit, & frontis ſuæ ſudores quos per continuos colligebat labores, Laureâ non abſterſit Philoſophicâ. Sumpſit GEDROICIVS Inſignia Doctoralia, quæ Sapientiâ ſuâ magis inſignia fecit, & Angelicis dotibûs Angelicæ Vitæ Regula adornavit. Accepit Annulum ut Angelicæ Vitæ deſponſaretur. Recepit Librum ut in Illo Angelicæ Vitæ Regula meliùs intimaretur. Inflexit ad Mitram Doctoralem caput, ut Laureator omnium Virtutum affirmaretur. Benè eſt Neo-Doctor Diviniſſime, Philoſophicæ applicaris Laurui, ut Vitæ immortalis particeps fias, vel clariùs dicam: Vt Regula Angelicæ Vitæ meliùs eluceſcas. Virenti interponeris, ut fragrantiâ Virtutum majori redoleas augmento, ſublimem conſcẽdis Gradum, quem altô infuſarum

dotum ingeniô elevatiorem reddes. Ita eſt: quò altiùs in tanti Honoris Philoſophici ſublimaretur apice; eò magìs elevatâ mēte & fervidô Spiritu Superos adierat; veluti Cælo propior per hanc gradûs Eminentiam factus. Vnde Laurea illius magìs Cæleſtium Gratiarum conſperſa Stillicidiô, uſq; ad ſtuporem Orbis mirô Virtutum fragrabat odore. Commendavit Laurea hæc GEDROICIVM ſerò venturæ poſteritati, Immortalis gloriæ hæredem eſſe; vivunt enim perennes illæ horæ, quæ ſunt exactæ in optimis GEDROICII actionbus, ſignantur in ſinu æternitatis quadrantes, quos non in ſola jactatione & verbis inutilibus; ſed in operibus ſculpſit. Quotidiana GEDROICIANÆ Virtutis experimenta Eum in auge beatitudinis collocârunt. Inceſſantes laborum curæ, Illi glorioſam Angelicæ Vitæ proſperitatem, & æternaturam comparavêrunt poſſeſſionem. Ille Eruditis horas diſtingvendo momentis ad fortunatam eruditionis & Sapientiæ devenit ætatem, & quò magîs in longiores Annorum devolvebatur ſeries, eò magîs Virtutum præſtantiâ glorioſior credebatur. Quò meliùs memoriæ mandatam imprimebat Regulam, nempe: ad aliorum exemplum vivere; neminem lædere; jus ſuum cuiq; tribuere: eò magìs hanc veritatis æternæ clariorem fieri voluit propoſitionem; quòd nēpe ſit Angelicæ Regula Vitæ. Prodigioſa GEDROICII portēta, ſive portētoſa prodigia ſi licet in memoriā revocare, Cracij ignes veniant in documentum. Non ſemel etenī flammîs correpta, adeò exarſit Cracovia; ut nec inextingvibilis Æthna, nec ardentiſſimus Veſuvius

majores

majores aliquando ignes evomere sint visi. Implerunt Cælos ululantis populi gemitus, perq; sinum lachrymæ fluminis instar ibant. Aqua fontibûs & puteîs exhaustîs, vires nisi Civium extinxit, dolor devoravit, & pro tuenda Vrbe laborantium deficiebat Spiritus, nisi ultima sua clade animaretur populus, cadavera essent. GEDROICIVS pius Incola Cracoviæ, cùm labor & aqua Vrbis suæ nihil proficerent, lachrymîs devotionum sopivit incendia; & vix fervere ad Cælos animum sumpsit; jam ignes ignibûs extinxit, aspectû nempe horribilissima incendia, ardentî devotionis mitigavit fervore, igne Sanctitatis æstuando. Majores tamen post sui in Cæleste Empyreum ascensum, cum grandi & notabili damno ignium rogos prophetisabat, quæ furor populi excitaturus erat, & quòd protulit, expletum: quòd promisit, expertum; adeò enim ingentî post aliquot annos Cracovia misera, exarserat igne; ut vix post longa Annorum lustra ad primævum fuerit redacta florem. Plura miraculorum prodigia, si venerabundus tacere vellem, vel ipsi mortui ope Divinâ per GEDROICIVM Vitæ restituti deprædicabunt, à vesana Dæmonum vindicati malitia, ab immedicabilibus relevati morbis, orbati lumine, illud recipientes, GEDROICIVM Angelicæ Vitæ Regulam enarrabunt. Rem tandem verbis obscuram claudam in iliade: Si ex fulmine Iovem, ex Clava Herculem, ex Virium robore Antheum, ex aureo stylô Tullium, ex Alpium maceratione Annibalem, ex Orbis Victoria conijcimus Alexandrum; etiam GEDRO-

ICIVM Diviniſſimum, non tantùm ex profunda Spiritualium veneratione, Religioſæ Familiæ ampliatione, innatâ omnium affabilitate; ſed etiam ex Angelicis actionibus, Angelicæ Vitæ Regulam comprobare tenemur. Et hic jam terminale Magno GEDROICIANO Adoratori opponitur non plus ultra. Plurimum quidem & ultra deberem in Ejus aſſurgere laudes Orator; ni ſcirem Illi ſufficere ad Encomium, quia Illum Angelicæ Vitæ Regulam intonavi. Vos tamen adhuc alloquor, Religioſiſſimi Patres, qui GEDROICIANÆ laudis compendium, & Meritorum ingens ſyllabus eſtis. Adeò etenim Virtutum coruſcô ſplendore allucetis Vniverſo; ut ab Angelicæ Vitæ Regula nec latum recedatis ad ungvem. Candido colore tinctum deportatis Habitum; quia pretioſam, gemmîs nitidiorem retinetis puritatem, Merita Veſtra, quibûs ſplendetis ubiq; ſerenantem. Nota omnibus etiam à longe probitas Veſtra; qui vident, quantâ Vos liberales Superi dotum maximarum ſupra Cæteros extulerunt præſtantiâ; hæc quia Faſti ſæculorum deſcribere deberent, ego tantiſper ſileo. Elogia namq; Veſtrûm mirandum tantùm non dicendum eſt; veriùs igitur venerabundo cultu Illa ſtupenda ſub nativa Principis GEDROICIJ retinebo Roſa. Ad Te tandem redeo GEDROICI Diviniſſime. Regula Angelicæ Vitæ esſ Sarmatiæ Polum cum Ejuſdem Alma Studiorum Vniverſitate ita regulari permitte; ut omnem proſperæ ſortis experiantur malaciam. Omnibus Magno Tuo Nomini Honoriq; militantibus ſingulares à Superis impetres favores; ut Te Angelicæ Vitæ Regulam totus adoret Vniverſus; qualem ego

D I X I.

